













1716

1. Vitmarus, Iustus Christophorus: *Historia comitatus Teisterbant.*
2. Vitmarus, Iustus Christophorus: *De foederibus cum diversae atque nullius religionis populis*
3. Reinoldus, Bernardus Henricus: *Observationes interpretationi Cordis praemissae.*
4. Reinoldus, Bernardus Henricus: *Ad legem XXX § 6. 8. de adquisenda vel amittenda heredit.*
5. Reinoldus, Bernardus Henricus: *Ad legem XXVII C. de inafficio testamento*

1717.

1. Coecejus, Henricus, de: *Quae sit genuina resolutio controversiae, circa causas exhereditationis liberorum.*
2. Coecejus, Henricus, de: *De liberis, qui partem et numerum faciunt.*
3. Coecejus, Henricus, de: *De potestate iustitialis in ficto Dominio.*



1717.

4. Reinoldus, Bern. Hlus. : Ad Senatus Consulta  
Macedoniana

1718.

Coccejus, Hluricus : De fideicommissis familiae  
a manu heredum non capiendis

1719.

1. Bergen, Joh. Georg, a : De vertigine ex venterculo.
2. Dithmarus, Justus Christophorus : De origine juris publici  
Germanici.
3. Dithmarus, Justus Christophorus : De anno decretorio  
exercitii ubique et religionis in Germania
4. Koldhorsius, Daniel : De potestate maritali juri civili  
sacris cognita.
5. Plesmannus, Hluricus Simon : De eo, quod justum est,  
circa inquisitionem variantem
6. Plesmannus, Hluricus Simon : De transactionibus inutilibus




HISTORIA  
COMITATUS  
TEISSERTANT,

Quam  
PRÆSIDE  
JUSTO CHRISTOPHORO  
DITTMARO,

HISTORIARUM ET POLITICÆ  
PROFESSORE ORDINARIO

in REGIA UNIVERSITATE  
Et Auditorio Magnæ Curie  
publicè habetur

DIONYSIO A. KLEIN,  
Episcopo



Druck und Verlagsanstalt  
VERLAG VON CARL SCHWARTZEL

174  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 175  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..  
 ... ..



1717, 1  
6

**Quæ sit genuina resolu-  
tio controversiæ, circa cau-  
sas exheredationis liberorum.**

*SUMMI NUMINIS AUSPICIO*

INDULTU MAGNIF. JCTORUM ORDINIS  
IN ACADEMIA VIADRINA,  
PRÆSIDE

**DN. HENRICO DE COCCEJI,**

AUGUST. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ  
CONSILIARIO INTIMO,

FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO  
ET ANTECESSORE PRIMARIO,

*134*  
DN. PATRONO ÆTATEM SUBMISSA  
DEVOTIONE COLENDO,

Publica hac Dissertatione  
Explicabit

**PHILIPPUS CONRADUS HUGO,**

Hannoveranus,  
AUTOR & RESPONDENS.

D. Febr. Anno 1717.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Literis JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII.



V I R O  
*PERILLUSTRI atq<sup>z</sup> EXCELLENTISSIMO*  
**DN. GOTLIEB**  
de **BERNSTORFF,**  
AUGUST. AC POTENTISS. REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ  
atque ELECTORIS BRUNSVICO LUNEBURGENSIS  
CONSILIARIO INTIMO PRIMARIO DESI-  
DERATISSIMO &c.

NEC NON

V I R O  
*EXCELLENTISSIMO atq<sup>z</sup> CONSULTISSIMO*  
**DN. LUDOLPHO**  
**DIETERICO HUGO,**  
AUGUST. AC POTENTISS. REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ  
CONSILIARIO AULICO  
DIGNISSIMO  
*Cognato suo at a tem submisſe de venerando*  
Hoc Exercitium Academicum  
D. D. D.

PHILIPPUS CONRADUS HUGO  
Autor



PERILLUSTRIS VIR atque TU COGNATE  
ÆTATEM COLLENDE.

Sacrae olim fuere primitiae  
In grati animi tesseram  
offerebant

primitias pretiosas, viles,  
Quibus significare  
a quo descenderent  
& pretiosa & vilia

Memor hujus ritus  
Sacrum jubeo

non rem pretiosam  
nec quidem vilem  
sed minimum

nudum chartaceum munus  
quo significem  
quasi canonem

in recognitionem beneficiorum  
& quorum auxilio atque consilio  
bene adhuc est

Vestrum observantissimo  
Autori

Vivite diu atque favete.





## B. L.



**F**A est, inquit Julianus in *L. 63. ff. de R. 7.*, natura cavillationis, quam acervalem syllogismum appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur. Hanc legem utinam multi perpenderent, fugerent cavillationes cane pejus ac angue, meliorem ætas nostra videret justitiæ statum. Jam olim, memini, ante quinquaginta annos editus liber est, de Abusu appellationum tollendo, Autore Viro meis elogiis majore, Perillustri LUDOLFFO HUGO, Vice-Cancellario Hannoverano, in quo vehementer contra istiusmodi cavillationes

nes



nes invehitur: enimvero, adjicit, tempus con-  
teritur, clientes pecuniam amittunt, ut os  
Advocatorum impleatur, & unicum verbum,  
appello, toti processui reddit initium. Alios  
abusus ut sicco pede præteream. Ita quoque  
est cum hac nostra controversia, quam jam  
jam aggressurus. Plana sunt verba legis, sed  
obscura interpretatio quorundam. Favoura-  
bilis pro liberis, sed odiosa interpretatio præ-  
valet. Heu! quòd nostra judicia tot tantisve  
insignibus Jctis impleta, absurdam pluris habe-  
ant, quàm planam Imperatoris legem, cum  
quod abrogata sit, non constet. Sed ne sutor  
ultra crepidam. Modestia admonente, desisto.  
Aggredior ergo rem ipsam. Nempe mihi pro-  
positum est controversiam illam, quæ circa  
exheredationem liberorum obvenit, an si-  
miles & majores causæ, præter enarratas in  
Novella 115. admitti possint, explicare. Ut eo  
planior ista controversia reddatur, duo consti-  
tuemus capita. Primo historiam, altero  
ipsam controversiam explicaturi.

CAP.



\* (6) \*

## CAP. I.

# DE HISTORIA EXHEREDATIONIS.



Uod ergo attinet ad historiam exheredationis, petenda illa est ex L. L. XII. Tabb. secundum quas patria potestas tanta fuit ut patri etiam jus vitæ ac necis competeret: *Endo*, sunt verba hujus legis, *liberis justis jus vitæ necis vendandique potestas ei esto*. Imò licet nulla bona eis relinquerent, tamen nullo modo testamentum impugnare poterant. *Paterfamilias*, enim, *uti legasset super pecuniæ tutelæ suæ rei ita jus esto*. i. e. Paterfamilias uti legem dixerit, seu prout disposuerit de bonis suis & liberorum suorum tutela, ita post mortem ejus observator. Liberrima ergo & magna erat quondam potestas parentum in liberos, cujus rei vestigia passim in jure quoque nostro reperimus, ut *in L. 12. in f. ff. de lib. & postb.* ubi & causa refertur, seu caput unde manavit tam libera & infinita exheredandi liberos copia: nimirum effrenis illa patriæ potestatis vis ac licentia, quæ tanta patri indulta fuit, ut & occidere potuerit.

Non mirum itaque, licuisse patri hereditatem liberis adimere quibus & vitam licuit: & quæ sua sunt bona illis non concedere, cum & qui ipsorum est, spiritum ipsis elidere. Non potuit itaque efficacius argumentum dare Jctus, quo parentibus adstrueret plenam liberrimæ exheredationis auto-



autoritatem, quàm ab altera illa potestate, immensum majore, in ipsam filiorum animam datâ, in quam aliàs nulli hominum suo, i. e. humano jure, facultas est. Neque enim ipsa illa lex, quæ patriam potestatem armavit in filios jure vitæ & necis, quod nemini hominum a natura fuit datum, exarmare eam voluit plenissimo jure in bona sua, quod omnibus permissum est.

Verùm tristissimis deinde exemplis apparuit, quàm fallat sæpissime illa mutua pietatis fiducia inter parentes & liberos; quid valeant novercarum erga maritos blanditiæ & in privignos odia; quàm facilis rixarum domesticarum quoque occasio, & inde uberrima odiorum seges & inimicitiarum fomes: quæ gravi carmine detestatur Poëta *Metam. lib. 1. vers. 147.*

*Lurida terribiles miscent aconita novercæ,*

*Filius ante diem patrios inquirit in annos.*

*Vitta jacet pietas &c.*

Quemadmodum & funestum ejus rei vestigiùm ac furiale exemplum, hinc nefariæ libidinis, inde diræ atrocitatis plenum, expressum est in *L. 5. ff. d. Leg. Pomp. d. Parr.* Igitur, cum illud studium mutuum, quod inter parentes & liberos natura providè accenderat, vitio ipsorum sæpe non repetiret aut frigeret, sed in furorem verteret, cœercendus ille in primis fuit, ne vel liberi eo jure quod natura ipsis debitum a parentibus, vel hi, quod pietatis ratio iis contulisset, a liberis suis temere exuerentur.

Sed obstabat legis XII. Tab. autoritas & veneratio, quæ Romanis summa in eam fuit. Illa enim expresse ita sanciverat: *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelave suæ rei ita jus esto.* *Ulp. in fragm. tit. 2. §. 14.* vel, ut *Cicero lib. 2. de Invent. circa fin. & ad Herenn. Lib. 1. ad fin.* pari sententiâ eam refert: *Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legassit ita jus esto.*  
Idem-



Idemque sensus est in verbis *L. 120. ff. de V. S. & Nov. 22. cap. 2. pr.* quibus latissima potestas tributa est heredes instituen- di, & legata & libertates dandi. *d. L. 120.* Attamen fuit illa sensim interpretatione coangustata vel legum vel autori- tate jura constituentium, ut addit Pomponius in *d. L. 120.* ac his verbis duas in univrsum videtur facere classes eorum qui hanc potestatem legandi coarctarunt: cum Jctorum, quorum interpretatio est; tum magistratum, quorum legum latio: tertium enim membrum, autoritas scilicet jura consti- tuentium, videtur utrique classi communis, & præsertim eo quoque innui Jctos Romanos: illi enim maxime juris civi- lis autores & conditores ab eodem Jcto habentur in *L. 2. §. 5. ff. de Orig. juris* & passim in Codice ita vocantur. *Vid. L. ult. §. ult. C. d. Furtis. L. pen. C. d. Impub. subscit. L. 2. §. pen. C. d. consti- Pec. L. fin. §. 3. §. 8. C. d. Curat. fur. L. 1. C. d. Verb. sign. L. 1. pr. C. d. serv. comm. man: L. 6. in f. C. d. Donat. int. conj. L. un. C. d. Incest. nupt. L. f. C. de legat.* Per leges ergo, seu Plebescita, maxime prospectum est heredibus, ipsique testatori contra legandi abusum; per Jctos, liberis & parentibus contra exheredatio- nis & præteritionis injuriam confidâ inofficiosi querelâ. Se- quemur ergo hoc filum Jcti duos potestatem hanc testandi circumferibentium ordines facientis, leges & Jctos: Et prius de legibus, quibus cohibita fuit legandi potestas, & legatis maxime modus & obex positus est, agemus.

Eas leges testamentarias vocat *Revard. ad L. L. XII. Tabb. cap. 18.* & hinc originem habere ait, Falcidiam, Furi- am, Voconiam, Vellejam, Corneliam, Caniniam, Sentiam, Papiam, Gliciam, regulam Catonianam, formulam Aquili- anam &c. quas evolvere hujus loci non est. Tres saltem primo loco positas inspiciemus.

Primus rei indignitate motus fuit autor legis Furiæ, ut constitueret hunc in finem, ne quis ultra mille asses cuiquam legaret



\* (9.) \*

legaret, aut mortis causa donaret; & is, qui plus cepisset, quadruplum restituere vi hujus legis debebat. Verum ille nihil aut parū hac lege consuluit rei: quia de singulis legatariis lata erat, non de toto legatorum modo: & salva lege hac, totam absumere hereditatem legatis poterat testator; uti, si quatuor millia in bonis haberet testator, & quatuor legatariis singulis millia legaret, nihil contra L. Furiam committit, quia supra millia singulis legatariis non reliquit, & tamen tota hereditas ita exhausta est. Corrigere ergo hanc legem Q. Voconius voluit, & lege sua Voconia vetuit, ne quis plus legaret, quam ad heredem vel heredes perveniret. Sed & hac lege libera & immodica illa legandi facultas non plane repressa fuit; sed eludi potuit consilium legis legatariorum numero: Enimvero si viginti asses in bonis testatoris essent, & novendecim legatarii, quibus legaret singulis unum assē, unū solum as maneret penes heredem; qui tantillo pretio non subiturus est onera hereditaria, multo ferē majora. Pleniū ergo erat temperanda hæc licentia: successitque res tandem, cū Publ. Falcidius, tunc temporis tribunus plebis, causā succurreret & dodrantem saltem omnium bonorum legare permetteret, ita ut quarta pars semper heredibus esset salva: sin ergo plura legasset testator, detrahitur quarta portio vi hujus legis. *vid. tit. j. ff. d. L. Falcid.* Et huc spectat *L. 120. ff. d. V. S.* qua, ut dictum, generalis verbi *legasset* significatio, & generalissima illa testandi facultas, hac lege (XII. Tabb.) civibus Romanis data, duplici modo coangustata est: interpretatione nempe Jctorum, & autoritate cū legum tum jura constituentium.

B

Et



Et, licet liber stylus ultimarum voluntatum esse debeat, *L. 1. C. d. S. S. Eccles. L. in re mandata. C. Mandati. L. Nemo 9. C. d. Judeis.* tamen secundum leges dispositio fiat, necesse est.

Atque ita lege primum intra iustum æquitatis utilitatisque modum cõercita est infinita ista potestas omnibus in genere testatoribus initio concessa, legandi legatisque exhauriendi universam hereditatem, consultumque optime cum heredibus, tum ipsi testatori ejusque ultimæ voluntati. Nam & inhumanum videbatur, heredi & familiæ successori gratis imponere talia onera, quæ hereditatem aliàs etiam non damnosam comitantur, solvendo aere alieno, defuncti litibus inde motis excipiendis, & peragendis, omnique ultimâ voluntate curandâ & exequendâ, cum heres sit negotiorum hereditariorum gestor, & voluntatis executor: & præterea ominosum id ipsi testatori ejusque ultimæ voluntati, quam deserto testamento, & herede gratis adire meritò detrectante, in universum corrumpere necesse est; cum & testator non consultò, sed spe, plus esse in facultatibus suis quàm revera est, tam prodigè legasse credatur: *§. 3. Cui & quib. ex caus. manum.* & denique ipsis legatariis cõeterisque, quibus relicta sunt, exitiosum, quia cum testamento omnia intercidunt. Quibus omnibus hac lege dexterrime ita provisum est, ut nec heres jure queri possit, congruo satis operæ pretio mactatus, omni aere alieno autem detracto: nec ultima voluntas votumque ipsum testatoris periclitetur; nec ipsi legatarii beneficiis testatoris excidant; atque adeò ut in omnium potiùs favorem quàm necem interpretatio concilietur.

Alterum ex mente Pomponii, (*vid. supr.*) & longe  
fan



sanctius remedium est Jctorum, quo injuriis & impietatibus parentum & liberorum mutuis obviam itum, cautumque ne illi invicem contra officium pietatis, & sanctissimum illum Naturæ instinctum, furore quodam impio, & concessæ potestatis effrenis abusu, ab hereditate sua excludere possint. Verùm id inprimis difficile videbatur, cum potestatem eam latissimam ex lege haberent, quam Jcti interpretari potuerunt, non abrogare. Igitur in id incubere, ut quod legislatoria autoritate non poterant, interpretandi solertiâ efficerent. Videamus igitur quam viam ingressi fuerint.

Inprimis scil. constabat, Lege XII. Tab. potestatem illam legandi infinitam patrifam. & homini sanæ mentis concessam fuisse. arg. *L. 43. princ. ib. homini sanæ mentis. ff. d. Vulg. Subst.* Fuit autem sanæ hominum menti à natura maximè insculptum illud studium votumque prospiciendi sibi & suis; i. e. liberis, ceu visceribus suis, quorum illi sunt portio. *L. 1. §. 1. ff. d. Inspic. vent.* Cùm igitur cujusque rei sanitas sit habitus ille, quem natura illi ad ejus usum & conservationem impresit; & é contrario vitium, habitus ille, qui contra naturam inest, & istum Naturæ usum ac finem pervertit; arg. *L. 1. § 7. ff. d. Edilit. Edict.* fatendum est, cum humanæ mentis sanitate non magis conciliari posse vetum parentum & liberorum invicem perdendi & nocendi, quam intelligendi impotentiam. Utrumque æquè pugnat cum sana mente, cui hæc duo maximè Naturæ congenuit, usum intellectus, & votum providentia conservandi sui suorumque. Evidentiùs id apparebit expendenti, gemina potestate constare hominum mentem, intelligendi & volendi. Voluntatis



autem ea natura est, uti homo sibi consultum suumque bonum velit: quemadmodum intellectus ut illud discernere possit. Quodsi igitur deficiat vel naturalis potentia intellectus, vel naturale hoc voluntatis votum, sana mens non videbitur, sed utrumque æque mentis vitium: nisi quod alterum sit naturale, quia est in intellectu; alterum morale, quia in voluntate: utrumque habitus vitiosus; alterum naturalis, seu intellectus; alterum moralis, seu voluntatis. Vnde, ad illius imitationem, hoc quoque furor in jure dicitur, & utrumque est vitiatæ mentis quidam morbus & aberratio; uti alterum in intellectu, ita alterum in voluntate: & altera admodum habitus vitiosus intellectus; alter voluntatis: ille furor & morbus naturalis, hic moralis; uterque vitiatæ mentis.

Itane verò, inquires, hac ratione relegatis ex hominum vita omnem sanam mentem, ipsamque rationem ex anima rationali? cum constet, omnium mentes hac peste hereditaria infectas, atque ab inolita origini ista labe corruptas & vitiatas esse? Minime gentium! Etenim animadvertendum est, præsentem humanæ conditionis statum, qualis ab originaria corruptione est, nunc esse communem hominum naturam, eamque, qualis nunc in commune est, pro regula ac norma juris ac legum habendam. Leges enim hoc statu non exiguntur, nec possunt exigi ad modum summæ illius perfectionis, quæ fuit in primævo illo statu integro & prope divino: quales servari nunc leges non possent, adeoque frustra ferrentur, & nec exitum haberent, nec sine perniciose humani generis earum fieri executio posset. Leges igitur, quæ feruntur, non primævo illi hominum generi, sed præsentibus; non in statu integritatis, sed infirmitatis,

ex



ex præsentis naturæ rationibus censerî, & quales fervari nunc possunt, sive, ut Hugo Grotius eleganter & sapius loquitur, *ad sensum humanæ imbecillitatis ferri debent.*

Et hoc ita attenditur in omni jure communi, ubi officium boni viri, seu boni patrisfamilias, non exigitur ad gradum summæ perfectionis, sed ad medium redigitur, seu ad illum modum, quo isti patresfam. qui in præsentî statu frugi habentur, quid gerere solent. Neque ab hominibus nunc requiritur exactissima illa diligentia, qualem integra natura deposceret, sed media, seu qualis esse eorum solet, qui hodie diligentium numero censentur. Neque culpa intelligitur, quæ ex rigore perfectæ illius naturæ imputari posset, sed pariter gradus ejus medius, cum actus hominis deficit ab illo boni patrisfam. ejusque officii modo, quem jam descripsimus. *vid. Div. Præsidis collat. Jurid.* Ut ita jura ac leges adtemperentur perpetuò ad præsentem humani generis, tanquam ad suæ civitatis, cui, & in qua feruntur, statum, sensum, ac modum.

Inprimis vero illud in hanc rem eximium est, quòd in jure ipsum vitii nomen non aliter accipitur & describitur, quàm ex rationibus & modo præsentis hominum ac rerum naturæ, conditionisque communis; ut vitium commune generis pro natura, non pro vitio habeatur: In toto enim jure vitium definitur, quòd contra naturam generis fit, non quod generi commune est. Quemadmodum nociva illa bestiarum feritas & lædendi pruritus in mansuetis vitium est, in feris natura: quia harum generi, illis contra naturam generis inest: & in mansuetis assumta



vicio ferocia; in reliquis, hoc rerum statu, congenita, & inde naturalis feritas dicitur, in *L. 1. §. 10. ff. si quadr. paup.*

Pari ratione corruptio illa hominum universalis, quæ a primo eorum, à quo sanguinem ducimus, fatali lapsu oritur, cum totum humanum genus contagione infecerit & pervaserit, in generis naturam abiit, & in eo statu communi sanæ sunt & intelliguntur hominum mentes, etsi à prima ista perfectione & integritate degeneraverint, & cum ipsa intellectus acies hebetata, tum voluntatis innocentia depravata fuerit. Unde non habetur nunc pro vicio si quis nesciat quod non nisi sapientissimi intelligunt: modò non ignoret quod homines prudentes communiter sciunt: nec pro negligentia seu culpa, si non caveant quod diligentissimi tantum patresfam. cavere & providere possunt ac solent, si ab ea cura & diligentia non desciscant quæ uti in suis illi solent qui vulgo & communiter patresfam. frugi & diligentes intelliguntur.

Quin in quibusdam adhuc moderatius agunt leges, & ab hac fronte quoque plurimum remittunt, si aliquam naturæ adhuc imbecillioris imaginem, & singularioris generis indolem, minus maturam, invenerint, ut in rusticis, fœminis &c. in quibus universalis istius normæ, quæ communem totius generis naturam respicit & sequitur, rigorem, pro modo infirmitatis seu rusticitatis suæ communis, temperant. Prout divina illa juris Romani prudentia admirando judicio ac sagacitate & incredibili dexterritate, & hæc & cætera jura, non ad populi Romani saltem usum, quod jus civile est, sed ad communes gentium rationes, humanique generis vires & facultates



tates explorarunt & definiverunt: Et si id sæpe non videatur iis, qui in has ejus aditus non penetrarunt, vel sinus ejus recessusque non excusserunt.

Nihil igitur huc facit, quæ sit communis hodie mentis humanæ indoles: illa enim qualis qualis sit, regula & norma legum ferendarum erit legislatori: Nec quicquam cum ea commune habet naturalis illa *soq̄y* seu mutus iste affectus, quem natura integra expressit atq; exculpfit in parentum ac liberorum animis: ille enim etiam nunc generi inest, in eo viget, vivit, fervet, agitur & vegetat; & hodie vis ac virtus & vinculum generis est. Quin aded non deficit ab origine sua, ut & nimis sæpe videatur atque excessu peccet: Denique non hominum saltem, sed omnium animantium generi spiritus iste ac sensus insidet, tanta vi ut fera & bestia sæpe vincant studii hujus ardore affectum hominum.

Quod si ergo inter homines inveniantur parentes & liberi, qui ad hunc Naturæ stimulum obtorperunt, & ad ejus sensum obsurdescunt, nedum qui eum ferali odio commutant, aut irarum furis mutud exardescunt, ut post mortem quoq; excludere invicem ab hereditate sua non dubitent, non est iste humani generis affectus, nec generis vitium, sed contra naturam humani generis, quin contra omnium animantium & bestiarum, non tantum hominum generis naturam: nec id commune votum parentum, sed communis detestatio.

Merito itaque & iusta ratione Auctores Juris Romani talem affectum invicem excludendi ab hereditate sua inter parentes & liberos, non pro sanæ mentis sensu, sed pro mentis vitio & quodam quasi furo-



furore habuerunt, aut furori æquipararunt: quia hoc votum se suosque conservandi non minus Natura sanæ voluntati impressit, quàm facultatem intelligendi sano intellectui. Non minus ergo illius stimulo excusso, quàm hac extinctâ, vitium id mentis est, quo illa non tantum ab humanitate, sed & à feritate degenerat, quæ nec in bellis hunc affectum & naturæ motum delevit vel fregit.

Neque turbet, quod in Jure quoque negatur esse verè furor, & hunc calorem saltem esse asseritur. *princ. de inoff. test. L. 2. L. 5. §. f. ff. eod. tit.* Id enim plane certum est, quia furor, ut dictum, est morbus naturalis, & habitus vitiosus intellectus, qui omnem consensum, adeoque & omnem agendi facultatem tollit: *d. L. 2. in f.* sed alterum hoc vitium est morale, seu habitus vitiosus voluntatis, qui eam totam non perimit, sed actum saltem ex eo vitio natum; & hætenus imitatur furorem.

Par exemplum est in prodigo, quod similiter est vitium mentis morale, seu habitus vitiosus voluntatis. Unde & prodigus pariter comparatur furioso, *L. 40. ff. de Reg. fur.* sed tantum quoad actus, qui ex hoc vitio proficiuntur, scil. cum res suas profundit, non quatenus frugaliter, vel saltem præter vitium suum mentis, quid gessit. *L. 6. ff. de Verb. Obl.* Cum enim varii sint in hominum animis motus & affectus, & alii eorum vitiosi esse possint, alii recti & probi, illi actus soli vitiantur, & furoris imaginem referunt, qui ex vitio fiunt, & ex habitu illo vitioso fluunt; ast utile per inutile non vitiat. *L. 1. §. 5. ff. de Verb. Obl.*

Tale vitium mentis morale quoque est, quod prostravit illum mutæ pietatis sensum ac radium, quem



quem Natura animis parentum ac liberorum ingenavit, & mirifica providentia accendit. Sive igitur illud furorem dixeris, sive aliter, est omnino vitium sanæ mentis, & detestabilis contra Naturam universi generis, cum hominum tum animantium, vitiatæ mentis rabies, ipsisque infestissimis belluis infestior immanitas.

Hæc igitur causa, hæc certa ratio, valet & sufficit adverlus exheredationes parentum & liberorum mutuas, quippe non à sano naturæ sensu, sed mentis vitio, atq; adeo à quodam quasi furore profectas. Quia ratione jam nec resistit, nec periclitatur legis XII. Tabb. autoritas, & per eam permessa libera legandi & testandi potestas: hæc enim cum sit sanæ mentis facultas, eam excludit hoc mentis vitium, ut non minus irritæ videantur exheredationes istæ, quàm si à furioso factæ fuissent. Neque ad id vel magistratus potestate legislatoria opus fuit, vel abrogatione legis. Rem omnem confecit justæ interpretationis solertia: quâ factum ut exheredationes istæ vitiosæ sublata, nec fines tamen legis moti, nec magistratus aut legis auxilio opus fuerit. Cæterum patet hinc primo, plurimum interessè tamen inter verum furorem, & inter vitium hoc mentis, quod hæctenus delineatum est. Verus furor ipsum fontem rationis, atque adeo omne principium rerum agendarum extinguit; unde furiosus nihil agere potest; & nullum negotium gerere. *L. 1. §. 12. ff. de Obl. & Act. L. 70. §. 4. ff. de Fidej. L. 5. ff. de Reg. Jur. §. 8. de Inut. sup.* Sed hoc vitium mentis morale testamentantum, & exheredationes ac institutiones inofficiosas, eaque quæ ex hujus vitii capite manarunt

C

ex.



expugnat; cætera omnia fieri eo non obſtante poſſunt, omniaque, rite aliàs geſta, rata ac valida ſunt: uti & ea quæ prodigus geſſit, niſi ex vitiatato illo fonte profluxerint atque proceſſerint, ut dictum.

Hinc & alia quamplurima ſiunt quaſi conſectaria. Nam & hoc ipſum teſtamentum valet, & ipſo jure ſubſiſtit, ſed ex cauſa hujus vitii reſcinditur, motâ querelâ inofficioſi teſtamenti. *princ. de Inoffic. Teſtam. L. 2. L. 5. §. 1. ff. eod. tit.* Hinc porro, licet teſtamentum tanquam furioſi totum olim irritatum fuerit, *L. 13. in f. ff. eod. tit.* non tamen obſtat, quo minus & ipſum teſtamentum & omnia ejus capita ſubſiſtere poſſint, illâ ſolâ, quæ ex vitio facta eſt, ſcil. inofficioſa exheredatione deſtructâ. Hinc porro ipſa quoque exheredatio valet, ſi non ex vitio mentis, de quo dictum eſt, ſed prudenti conſilio, nec impie facta ſit: uti ſi teſtator bona mente filium obæratum exheredaverit liberis ejus inſtitutis, ne Creditores filii hereditatem auferant. Idemque eſt, ſi ex aliis juſtis & probabiliſibus cauſis facta ſit exheredatio, & vel filii in parentes ingrati, vel parentes in filios impii, eam ut inofficioſi meruerint, de quibus cauſis cap. ſeq. agendi locus eſt.



## Cap. II.

Postea quam pauca de Historia exheredationis præmissa sunt, videbimus DD. opiniones, & explicationes hujus Novellæ 115. cap. 3.

**A**gitatur nempe acriter inter DD. utrum hæc Novella stricte an late sit explicanda? i. e. An similes ac majores causæ præter ibi enarratas admitti possint? vel, an ita sit interpretanda, ut nulla alia causæ admitti possit, nisi, quam expressis verbis notaverit in d. N. Imperator. Nos eligemus medium. Reicimus illos qui nimis late & nimis stricte hanc Novellam explicant. Admittimus nempe causas, non quæ alterius generis & expressis similes saltem aut graviore, sed eas, quæ re & effectu, seu intellectu juris atq; usu sermonis, eadem & sub ipsis verbis comprehensæ sunt. Conf. Perillustris Dn. Consiliarius intimus Samuel de Cocceji *in jure controverso*, p. 372 Ita v.g. generalia verba sunt in d. Novella: *Si gravem & inhonestam injuriam liberi parentibus ingesserint*. Quæ causæ hoc verborum complexu multas comprehendit. Verû enim vero varia ac multiplex est gravis & inhonesta injuria, & innumeri illius modi, plurimæque species, quæ tamen omnes sub ipsis verbis legis, non sub ratione saltem, continentur; atque adeo omnes nominatim quoque expressæ, & ipso verborum ambitu conclusæ sunt.

C 2

Vti



Uti (1.) quæ vel mediate per alium, vel immediate:  
 (2.) In præsentem vel absentem &c. admiffa est. (3.)  
 Cum liberi parentes criminis, contra L. L. patrati,  
 coarguunt, wan ein Kind seine Eltern eines/ wieder  
 die Geseze lauffenden/ Lasters beschuldiget. Quorum  
 criminum infinitus est numerus, & multis modis fieri  
 possunt. Ergo jam plures essent quam quatuorde-  
 cim. Quod v. revera non est, quia hæ non sunt plu-  
 res causæ, seu plura causarum genera; sed plures spe-  
 cies sub ejusdem causæ genere, ipsoque ejus nomine  
 seu verbis expressæ, non vero ad alias non expressas,  
 ratione saltem extensæ. Genere enim expresso  
 omnes species exprimentur, adeo ut non genus tan-  
 tum, sed & singulæ species in verborum obligationem  
 deductæ intelligantur. Sed ad defendendam magis  
 nostram thesin videamus nunc utriusque partis argu-  
 menta.

Obvenit nempe (1.) B. Dn. Strykii senten-  
 tia, qui in *Comment ad Lauterb. Compend. ff. p. 200.* simi-  
 les & majores admittit. Verum non opus est nostris  
 argumentis hujus Celeberrimi viri opinionem refel-  
 lere, quam ipsemet, posteaquam penitius inspexit  
 hanc materiam, revocavit, in *tract. de succes. ab intest.*  
*Dissert. XII. Cap. 2. §. XI. & in cautelis testament.*  
*Cap. XIX. §. XXIV.* quo lectorem remitto.

Transgredimur ergo (2.) ad B. Dn. Struvium,  
 qui tribus argumentis sententiam suam roboravit. (α)  
 Justiniani mentem fuisse saltem licentiam exhere-  
 dandi ex qualibet causâ, quæ veteri jure obtinebat,  
 determinare, atque regulam constituere secundum  
 quam, justane vel injusta sit causâ, examinari possit.  
 (β) Quod similes & majores causæ comprehendantur  
 sicuti species sub genere, vel ut exemplum sub  
 regula



regula (γ) Ad hanc suam firmandam sententiam adducit autoritates Dd. *Vid. Exerc. 32. Th. 33.*

Quod prius attinet argumentum, pugnat illud manifestè cum lege: Ipsa Novellæ verba satis significant, Imperatoris mentem non fuisse coangustare saltem veterem exheredandi licentiam, quod jam in ff. factum; *Vid. L. 120. ff. de R. J. sed illas quoque causas determinare, quæ vel ambiguar fuerè aut aliam explicationem admisere: adeoque non testatoris tantum potentiam exheredandi; sed & iudicis ac partium licentiam interpretandi & extendendi cohibere, litiumque adeò occasiones abrumpere. Id quod satis ex verbis emphaticis admodum Imperatoris liquet. Nominatim Sc. præter ipsas Sc. causas autem has esse, decernimus. Toto autem jure duo hæc invicem opposita & contraria sunt: nomina vel verba legis, & legis sententia seu ratio. L. 29. L. 30 ff. de L. L. Accedit quoque, quod pristina dubitatio & fluctuatio rediret, admissis similibus causis; quam Imperator tamen in *Nov. 115.* tollere voluit. Non etiam video quomodo legi aliquid addere valeamus quod in ea non extat, & nec ex verbis nec ex mente ejus apparet aut probari potest; cum expressè cautum sit, si lex deficiat, nullam & ne utilem quidem dationem: *L. 64. §. 9. solut. matrim. præsertim in legibus correctoriis, & in quibus præterea expressè extensio prohibita est. Imo ex paritate rationis, vel gravitate causæ non valet in hac materia odiosa & pœnali extensio. L. 19. ff. de liber. & posth. & ibi Jalsøn. ad h. l. c. odia. 15. de R. J. in 6to.* Accedit etiam, quod ignominia & nota quædam exheredationem commitetur. *L. 18. C. de Inoff. testam. L. 10. C. de Testam. milit.**



*milit. Menoch. lib. 4. præsumt. 28. n. 2. §. 1.* Sic satis resolutam primam Dn. Struvii rationem puto.

Quod alteram spectat, nihil illa nobis officit. Quin lubenter admittimus causas, si ut species sub genere, vel ut exemplū sub regula contineantur, qualia sunt, quæ ipse affert; scil. si per alium fiat: nam & hoc ipse fecit, & sub eodem genere comprehensum, adeoq. & hæ causæ expressæ & eadem sunt, non diversæ, uti similes: quod enim simile est, non est idem; falsumque est, ea, quæ alterius generis sunt, contineri sub genere, vel esse exempla regulæ. Non igitur complexus ille, sed extensio legis est ad similia. Novella omnino est regula quædam, secundum quam parentes exheredare liberos possunt; & vel ideo nec patitur exceptiones nec additiones; prout ipse Imperator in *f. Nov. 115.* ait: *unam ex nominatis causis veram esse monstret heres.* Si ergo una ex nominatis vera demonstrari debeat, videmus, quod non sint de regula quæ nominatæ non sunt.

Quod tertio loco ponit B. Dn. Struv. minime omnium probat. Equidem ipsa *Auth. Non licet C. de lib. præt.* quam producit, directo Ei adversatur: hæc enim ejus sunt verba: *Non licet parenti aliquem ex liberis exheredare vel præterire, nisi is probetur ingratus, & ingratitude causas nominatim inserat testamento. Causæ vero ingratitude nova constitutione expressæ sunt quatuordecim.* Ex hac *Auth.* satis apparet, mentem B. Dn. Struvii inde non probari; expressè enim ait, nova constitutione saltem quatuordecim esse causas exheredandi. Nec movent Dd. citati. Quibus opponimus, quod Viglius, quem  
con-



contra se adducit, his verbis regerit: *Nusquam certe gravius ab interpretibus peccatur, quam in hac extendendum legum licentia &c.* Tum vrget & ipse valde, quod sic non essent quatuordecim sed planè infinitæ causæ. Conf. ipse Viglius in *Comment. ad Inst. d. Exhered. liberor. in f. §. 8.*

Ne diutius vero tempus coneratur in resolutione sententiæ Struvianæ, quam satis claram ac æquam fore opinor, transgredimur ad Fachineum, qui duplici ratione sententiam suam corroborat. *Controu. juris lib. 6. cap. 78.* Nempè (1.) Esse absurdum, quod si majores causæ committantur, vel similes eis quæ Justinianus expressit in *Nov. 115.* eas non eodem jure censendas esse, & mimum exheredari posse, perduellem, parricidam, patriæ proditorem &c. non posse.

Verùm est hæc, si unquam aliàs, mirifica *υσιτά-  
θαις εις άλλο γένος.* Lex agit de injuriis privatim in parentes commisis, quibus se ingratos in parentes exhibent: atque ideo his offensis in privatæ hujus injuriæ ultionem permittitur suo jure in suis rebus uti, ne eos heredes facere necesse sit. Adversarii contra agunt de criminibus in rem publicam commisis, quorum vindicta ad principem, non ad patrem pertinet: ubi non de pecunia patris, sed de supplicio filii agitatur, & de pœnis criminum, quæ non sunt in potestate & arbitrio privatorum, sed Magistratus. Neque vero proditæ patriæ crimen ideo Adversarios iuvat, quòd eo etiam pater hosti proditus sit; quæ causæ sub iis, quæ in *d. Nov. 115. C. 3. et 4.* recensitæ sunt, continetur. Etenim tunc exheredari potest filius, non quia patriam, sed quia patrem,



patrem, qui & ipse in patria & hosti proditus est, prodidit, & tum hæc causâ non similis, sed nominatim expressa est, nec propter publicum crimen, sed privatam injuriam sit exheredatio. Adeo vani sunt, quibus hæc inepta ratio cristas erigit. Si igitur Sodomiam quis committat, eapropter non potest exheredari, quia publicis legibus hoc delictum vindicatur, nec privatis subjicitur coërcitionibus. vid. *Harprecht ad S. fin. f. d. Exhered. n. 78. Peretz. C. n. 19. Zes. ff. n. 14.* Quapropter, cum disparitas facti ac rationis adsit, disparitas etiam juris esse debet. *Joseph Ludov. Dec. 44. n. 61. Menoch. Conf. 50. n. 2.* licet major adesse videatur ratio. *Afflict. Dec. ult. n. 17.*

Bene ergo & deliberato consilio posuit Imperator modo 14. causas, atque utiliter restrinxit hanc exheredandi licentiam. Nam nec propositum fuit Imperatori, fisco exheredatione præjudicare. Enimvero si etiam ob has causas admisisset Imperator exheredandi facultatem, bona hæc filiorum damnatorum ad fiscum reditura non essent. *Haunold. Tom. 2. T. 6. C. 7. n. 469.*

Ultimum, & ipsum quoq; perridiculum argumentum, ac tale prope est, quale diaboli tentantis Christum, allegato loco mutilo & omisso ejus nervo. Ita enim hæc *Nov. 117.* verba: *Ut præter illas nulli liceat ex alia lege ingratitude causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur:* explicat. Sensus, ait, est: Licet alia causæ aliquibus legibus contineantur, si tamen non continerentur in constitutione illa, non licere cuiquam eas opponere: quia Imperator eas pro legitimis non habuit: Tales vero non esse, pergit, proculdubio quæ majores sunt



sunt vel similes. Sed si sequentia vel ponderasset, vel non omisisset Dn. Fachineus, aliam omnino arripuisset sententiam. Verba scil. sunt: *Alique vero, cum essent dignæ, prætermisæ sunt: ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim præsentis lege comprehendere.* Ex quibus verbis patet, non tam ad causas alibi expressas, sed & ad prætermisæ majores vel similes Imperatorem respexisse, omnesque in unum veluti fasciculum collegisse. Ne dicta vero dicantur, hic rursus applicanda sunt, quæ in resolvendo priori argumento dicta. Pergimus ergo resolvendo cætera argumenta potiora, quibus plerique autores contrariæ sententiæ nituntur.

Opponunt nempe (1) Quod ubi sunt paria vel majora crimina, eandem ponendam esse pœnam, ne majora sint impunita. Verùm non ideo impunita manent crimina licet exhereditatio cesset, quia majori delicto major quoque à legibus statuta pœna; sed à magistratu exequenda, & sicut jam supra monitum, major tunc pœna foret si non exheredetur, quia bona, secundum delicti modum, fisco cedunt. Non ergo possunt dici strenui & fidi Interpretes, qui admittere volunt majores causas, quæ revera mitiores & quidem contra leges sunt. (2.) Afferunt *L. non possunt. de LL.* In qua lege permittitur extensio, quia omnes casus, qui obvenire possunt, sigillatim in legibus comprehendendi non possunt. Quis verò neget interpretandæ legis facultatem, ex ejus ratione & sententia, si de ea constet? Hiè verò contrarium in ipsa lege constitutum est: adeoque non fieret extensio ex ejus mente, sed contra ipsius mentem: inprimis cum de pœnis agitur, quia pœna non excedit proprium ac-

D sum,



sum; ut habet *Glossa in C. penis 29. d. R. J. in 6to.* Communis quoque est regula: Quod lex pœnalis ex voluntate legislatoris pœnam inducentis, debeat æstimari. Quod vero Imperator extensionem prohibuerit, ex ipsa *Nov. 115.* facillè quisque judicare poterit. Cessat quoque inprimis extensio in re adedò odiosa, uti est exheredatio parentum & liberorum. *C. 15. d. R. J. in 6to.* Sed & valet hoc loco argumentum à majori ad minus: si nempe in dubiis benignior est acceptanda opinio, *L. 56. d. R. J. arg. L. 20. d. R. J.* quò magis in certis & ubi extensio prohibita, uti hîc. *vid. d. N. 115.* Et facit quod ait Modestinus, *quæ legibus sunt expressa nocent: non expressa non nocent. L. 195. d. R. J. (3.)* Adducunt textum in *S. porro. versic. sed quia. in 2. feud. tit. 24.* ubi cautum in uno tacitè ad aliud trahitur, in quo est eadem vel major ratio. Hic vero textus huc nihil facit; loquitur ille de feudi amissione, cujus causæ non sunt ita nominatim definitæ, ut alias admitti prohibitum sit. Quinimò expresse & ibi & in *2. feud. 23. princ.* dicitur, illas indefinitas & arbitrarias, & ex collatione causarum exheredationis, revocandæ donationis, & repudiorum, interpretandas esse. Neque extensio ibi facta per consuetudinem, debet obtinere hac in materia exheredationis planè separata. *Vid. omnino Viglius J. de Inoff. Testam. in fin. n. 6. & de exheredat. Liber. n. 8. Alexand. ad Auth. Non licet. n. 4. C. de Liber. & posth.* ubi notat casum perduellionis & proditionis patriæ, quem supra jam discussi.

Ad scopum redeamus & subsistamus adhuc paululum in refellenda contraria sententia. Opponunt



nunt (r.) Autoritatem celeberrimorum quorundam  
 Jctorum & eorum præjudicia. Verum, quæ primùm  
 crepant præjudicia, parùm huc pertinent, & fere in-  
 cidunt in distinctionem nostram, & sunt casus de  
 quibus nobiscum lis non est, aut qui nequidem sunt  
 similes aut majores, uti qui est apud *Berlich. Dec. 36.*  
 sed merito rejectus à *Finckelthaus. Obs. 99. &c.* Opinio-  
 nibus vero non est certandum, sed rationibus. Has  
 considerent; & bene præterea perpendant elegantem  
 textum in *L. 65. de Reg. Jur.* Considerent pro nostra  
 sententia stare quoque celeberrimos viros & magni  
 nominis Jctos, Giphanium, Viglium, Harprechtum  
 Treutl. *Vol. 1. Disp. 13. §. 8.* Bronchorst. *Cent. enantroph.*  
*assent. 26.* Peretz. *ad lib. 6. C. 1. 28. n. 14.* Zoësum *ad Inst.*  
 & ff. Jctos Lipsienses, multosve alios. Considerent  
 quoque, scopum Imperatoris solum hunc esse, ut ab  
 exheredationis præterionisque injuria tuti parentes  
 liberi redderentur, prout ipse fatetur in *Nov. 115.*  
*c. 5.* unde, quod salubriter in rem aliquorum consti-  
 tutum, non debet sinistra interpretatione produci  
 ad severitatem. *L. 25. ff. de L. L. L. 6. C. eod.* Denique  
 est observandum, caussis omnibus arbitrio judicum  
 permissis totam disputationem de admittendis caussis  
 exheredandi, similibus aut majoribus, jejunam &  
 ineptam fore. Ego vero hic subsisto. Lepidum tamen  
 adhuc & elegans dictum circa exheredationem al-  
 legare liceat, quod aliquando, nescio ex quo auctore  
 mihi exercepere contigit. *L' exheredation estant un coup*  
*de la puissance paternelle, elle ne se doit point faire sans*  
*grande connoissance de cause, sans larmes, & sans regret.*  
*D'ou vient, que l'on dit aux parens dans ces rencontres:*  
*quid dicitis miserorum parentum affectus? Exheredavit filium*



*pater, nullis lachrymis? tabula vociferatione nulla complen-  
tur? &c. Egregie! quisquis autor ille sit.*

Nunc videamus, quomodo altera quoque sen-  
tentia refellenda sit, eorum inquam, qui nimis striete  
hanc Novellam explicant, i. e. qui nec illas quidem  
admittunt causas, quæ non excedunt generalium  
verborum cancellos & appellationes, adeoque pro  
expressis quoque habendæ sunt. Circa hanc medi-  
tationem sæpe mihi in mentem venit, quod homi-  
nes plerumque peccent vel in defectu vel in ex-  
cessu. Utique hoc etiam in hoc casu usu venire vi-  
detur!

Quomodo enim excedunt alii, qui ex illis qua-  
tuordecim infinitas fingunt causas, ita defectu aber-  
rant, qui nullum aliam admittunt causam nisi quæ  
expresse in d. N. posita est, nec sub iis admittunt quæ  
ex generalitate & natura sermonis pro expressis &  
nominatis habendæ sunt. Sed propius forte inter nos  
conveniet, si huic controversiæ caveatur à confusi-  
one casuum, atque in apricos constituantur; ubi,  
inquam, iterum differentiam notaverimus inter no-  
stram & illorum sententiam. Illi affirmant, ut jam  
supra monitum est, nullam debere aliam admitti  
causam, nisi quam ipsis verbis Justinianus posuerit.  
Et sic e. g. ajunt: si quis verberat patrem, ipsum esse  
exheredandum; sed si per alium curaverit verberari,  
non esse. Nos vero affirmamus, posteriorem casum,  
perindè ac alterum, ipsis legis verbis contineri, ean-  
demque effectu & intellectu juris causam esse, sive  
per se, sive per alium quis faciat, & utrumque  
ejusdem factum esse. Sic e. g. filius non solum potest  
exheredari, si patrem ipse per se verberet, sed &  
per



fi per alium. Quod enim quis per alium facit, ipse fecisse putatur.

Ut verò, quæ causæ sufficiant, plenius appareat, percurreremus quatuordecim causas, & paucis ostendemus, quæ intellectu juris sub illis comprehendantur, vel inde removendæ sint.

Prima, ob quam filius à patre exhæredari potest, causa est: *Si quis parentibus suis manus intulerit.* Hac de causa filium exheredare lex permittit, quia ille causa est efficiens, quod pater verberetur, licet per alium, qui tantum instrumentum est, perinde ut filius fuste verberet; non enim actio est instrumenti, sed causæ agentis. Non vero procedit exhereditatio in infante: quia nondum capax est injuriæ. Nec in furioso, *L. 12. ff. ad L. Corn. de Sicar.* seu in amente: modo non sit dementia simulata, vel non sit intermissus tempore verberationis furor. *L. 14. ff. de offic. præsid.* Cessat quoque in ebrioso, si nulla superfuerint rationis vestigia. *Carpz. criminal. part. 3. quæst. 146.* Cessat porro, si filia adversus sceleratissimum parentem, qui vi stuprum molitur, defenderit pudicitiam, nec aliam ejus defendendæ viam invenerit: Major enim metus stupri esse debet honestis, quàm mortis terror *L. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* Cessat denique si pater animum habet filium occidendi, isque in moderamine inculpatae tutelæ constitutus sit. *vid. Matth. de crimin. ad lib. 48. t. 6. c. 2 n. 11. frustra dissentiente Enekelio.*

Secunda causa est: Si gravem & inhonestam injuriam filius parentibus ingesserit. Injuria multis modis fieri potest: sic eadem est injuria, si domum paternam vi introverit *arg. L. 5. ff. de injur.* si ita



nuptias invito patre contraxerit, ut gravis in parentes & atrox redundet injuria: si secundum *L. 9. ff. de injur.* vestimentis paternis scissis patrem habeat ludibrio: si nihil debentem vexandi gratia in jus voce *L. 13. § 3. eod.* si levatis manibus saepe parentem terruerit *L. 15. §. 1. ff. de injur.* His casibus an satis gravis videatur injuria ad exheredationem arbitrio judicis aestimabitur, cum infinitis circumstantiis id variare possit. Bere etiam considerandum, quo animo filius fecerit, an injuriandi; nec ne. Sic cessat exheredatio, si filius patrem vulpem dixerit, forte propter sollertiam; non vero si infamandi, criminisque gratia dixerit; lupum, latronem, ursum &c. Cessat quoque si patri objicit naturale vitium v. c. si filius patri deformi dicat, quod sit venter turgidus, quod gibbum habeat, quod balbutiat, quod sit:

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus.*

Hoc enim patri statim non est infame: modò non insigniter derisui patrem habeat: vel alia gravis injuria conjuncta sit, ut, si patri, injuriandi causã, infamius quid objiciat, veluti, Tu claude canis, tu cœca ulula! vel alterius fœdæ bestiae nomine.

Tertia causa concernit accusationem criminalem à filio contra parentes factam. Hic accusator non tantum videtur is, qui accusatoris vices proprie loquendo gerit, sed etiam, qui in causa est, ut pater ab aliis accusetur, v. g. qui alios instruit probationibus, ut pater eo citius de crimine convinci possit. *Conf. Franzk. ad tit. d. Inoff. testam. n. 78.* Item si sese sponte obtulerit ad testimonium contra patrem, in causa criminali & tamola.

Cessat



Cessat vero si perduellionis sive proditionis accusetur pater à filio, quia participes redduntur illi, qui sciunt, nec illud revelant. *L. 5. §. 7. C. Ad L. Jul. Majest. B. Stryke de success. ab intest. dissert. 12. C. 2. §. 14.* Sed quid dicimus de illo qui accusanti advocacionem præstiterit? Non videtur sufficere B. Dn. Strykio, quia Advocatus minimè accusat. *L. 14. §. 9. ff. d. bon. libert.* quod tamen Novella expressè desiderat: idque verum est. Dissentiunt *Covarruvias ad capit. Reynut. 16. d. Testamentis. n. 15. Gilken. ad C. d. liber. præterit. n. 23. Enekel, Manzius &c.*

Quarta causa est: si cum maleficis hominibus versetur filius. Hic meritò quæritur, quis sit maleficus. Generaliter admodum denotari Grotius putat eo verbo, *Boosdaders* i. e. *Ubelthåters*. Sed minime convenit illud cum historia antiqua & Græco verbo *μαρμανών*, quod designat magos, incantatores, veneficos. Illi enim dicuntur in Jure Malefici: *tot. tit. C. de Malef. & Mathem.* eorumque odiosissimum Romanis nomen fuit: & abominandi excessus *l. fin. C. eod. tit.* nam & vivos immolasse homines dicuntur. *Conf. Plinius histor. lib. 30. cap. 1. in fin.* Et istos Justinianum designare verisimile est. Primum enim non loquitur Imp. de singulis qui crimen committunt; sed de consortio improbo, cui filius interest ut confors. Neque verò id intelligi potest de consortio furum, latronum, perduellium &c. jam enim demonstratum est, eos pertinere ad vindictam publicam, non ad causas exheredationis, aut injuriæ privatæ. Sed fuere tum qui Magicarum rerum peritiam, tanquam artem aliquam profiterentur, aliosque docerent. *arg. l. 2. tit. l. 6. l. fin. C. eod. tit.* Inde male-



maleficorum cœtus, & quasi Collegia quædam exitere, valde infamia. Hinc patri, ad cuius, & familia ipsius, injuriam id pertinere pertinere visum, iusta causa exheredandi filium, qui tam infami arti & Collegio nomen dedisset, adeoque ei ut maleficus interesset, qui artem vel disceret vel doceret.

Nam si eam artem etiam opere ipso exercuit, aliosque læsit, occidit, &c. ejus criminis jam, ut dictum, publica Magistratus animadversio fuit, non privata patris *vid. sup.* Et quod ejusmodi scelerum tunc temporis fuerint artifices apud Romanos, etiam ex *L. un. C. de Theaur.* satis constat. Non tamen hic referendi sunt vulgò, *die Waarsagers* / dicti qui ex inspectione manuum fata hominum profitentur, nec natalitiorum syderum observatores &c. quos omnes describit *Mathæus de crimin.* nec qui, etiam sine artificiis diabolicis, morbos depellere conantur. *Vide Carpzovium criminal. part. 1. quest. 48. 49. § 50.*

Quinta respicit struētas insidias parentum vitæ. Huc referimus merito filios, qui per latrones aggressoresque patrem necare conantur. *arg. L. 7. ff. de Lege Pomp.* Item qui consilio exhortationeque vitæ parentum insidiati sunt. Sufficit quoque tentamen, quia Imperator expresse dicit: *insidiari tentaverit.* Quapropter superveniens pœnitentia filium ab exheredatione non liberat, nisi pater aliud velit. *Ant. Mathæus de success. Disp. 5. thes. 17.* Pœnitentia enim sola tantum in foro animæ operatur, nec tollit commissam jam pœnam. *L. 65. de Furtis L. p. ff. de vi bon. rapt.* Cessat vero si filius cum inimicis patris tantū societatem contraxerit, modò non adversus patrem eam



eam inierit; & hæc est sententia textus in *L. 28. in fin. C. de Inoff. testam. Aliter B. Dn. Stryke in tract. de success. ab intest.*

Sexta est si novercæ vel concubinæ patris se miscuerit; quia privigni cum noverca cohabitatio incestuosa est. *L. 17. C. d. Nupt. L. 5. d. Parricid.* Sic etiam exheredari potest qui cum patris sponsa cohabitât; non vero ex hac causa, sed magis ex secunda; quia magna est injuria, quæ parenti fit. Quo etiam pertinet, qui pudicitiam novercæ attentat, cum sic gravis & fœda patri inferatur injuria. Non vero potest extendi ad Sodomiam: nec si ignoraverit esse concubinam patris, si e. g. in lupanari, meretricio habitu indutam deprehenderit. *V. Stephani ad Nov. 115.*

Septima est, si filius delator contra parentes extiterit, & ita grave dispendium illis inferatur. Hic primum explicandum venit, quid sit delator, & quid sit dispendium. Delator est qui crimen tantum nunciat, & ergo differt ab accusatore. Per dispendium propriè quid intelligat Imperator, non additur. Verbi autem usu significatur ein mercklicher Schade an Leib oder Haab und Guth. *Manz. d. Testam. tit. 16.* Refertur hic quoque, si fraudati vestigialis nomine parentem detulerit, ex quo ad gravem multam solvendam condemnatus ille est. Cessat vero si patrem perduellionis vel læsæ Majestatis detulerit, quia eo scelere pater in hostem abit, & prævalet publica in patriam pietas privata in patrem. *2. F. 28. in fin.*

Nec vero pater ab hereditate filium arcere ideo potest, quod patriæ & reip. consultum voluit. *vid. Nov. 115. Cap. 3. S. 3.*

E

Octa-



Octava exheredandi liberos causa est, si carcere inclusos parentes masculi negligent, & non redimant. Sed &, licet pater testamentum non fecerit, adeoque nec liberos exheredaverit, sed intestatus decesserit, si tamen rogati sint ut pro Parente fideiuberent, hereditas illis ut indignis auferitur; quia calamitati patris, in carceris squaloribus tabescentis adeo non indoluerunt: cum & ipsi quodammodo iu causa esse videantur, ne Testamentum fiat. *L. 1. & 2. C. si quis aliq. test. prohib.* Porro extenditur hæc Novella non solum ad patrem sed omnes ascendentes: *L. 51. ff. de R. J. etiam ad matrem, aviam, proaviam: nam & foeminae olim carcere detinebantur, ut ex L. 3. C. de Custod. reor. liquet. Postea v. id mutatum per Nov. 134. C. 9. & Auth. hodie C. de Cust. reor. & constitutum, ne mulier, incaussa praesertim debiti, aut leviori crimine, carceri includatur, sed ut vel fideiussoribus, vel cautioni juratoriae committatur; aut si criminis gravitas custodiam requirat, aliter ita fiat. Vid. *Math. Steph. ad d. N. 134. n. 9.* Extenditur quoque porro ad manuum injectiones, vulgo arresten / sicuti Nov. ipsa inclusis pro debito civili subvenit. Cessat vero exheredatio in nepote, si pater adhuc vivit, quia avo intestato non succedit, dum pater est intermedius. Cessat quoque si non ab ipso patre, sed extraneo rogati sint: quia fieri potest, ut pater inclusus mallet manere, quam se & filium, a quo alendus esset, bonis privare. *Conf. Manz. de Testament. tit. 10. n. 31.* Cessat porro si non sint idonei, sive ex facultatibus, sive ex conveniendi facilitate. *L. 2. ff. cui satis d.* Hi etiam qui habent privilegium fori, non coguntur ut illi renuncient.*

No.



Nona jam sequitur causa exheredandi, si quis liberorum prohibuerit parentem testamentum facere vel mutare. Quod & ad eos extenditur, qui, et si directo non prohibeant, dolo tamen faciunt ne fiat, e. g. si testes repellunt, aut ne veniant impediunt. *L. 2. pr. ff. si quis aliq. test. prob.* Nec interest, vi id fiat, *L. 1. C. eodem.* an importunis sollicitationibus & persuasionibus; maxime si minæ fuerint intermixtæ. Conferatur de hac materia *B. Dn. Stryk. dissert. de blanditiis c. 4. n. 26. & seqq.* Illas hic non intelligi, sed adhiberi posse verius est. *Carpzov. p. 3. C. 5. d. 5. & seqq.* Grotius nec memoratas sollicitationes excludere videtur, sed solam vim; quia utitur verbo *dwangelich* / quod significat vim. Sed minime hæc explicatio convenit cum vero Nov. sensu.

Novella enim non distinguit inter vim & dolum prohibentis, & de dolosa quoque prohibitione agit textus in *L. 1. §. 1. & 2. L. 2. ff. si quis aliq. testat.* Cessat vero, si filius de hereditate patris vivi, non consentientis, pactum iniit. *Conf. Barrus de success. lib. 10. t. 4. n. 9. in f.* licet aliàs hujusmodi pacta de futura successione viventis, improba censeantur, tanquam secum trahentia votum captandæ mortis, ac plena tristissimi eventus. *L. ult. C. d. Pact.*

Decima causa exheredandi est, si liberi mimis & arenariis se sociant. Quid sit arenarius non adeo diffuse investigabo: paucis, Arenarii erant illi, qui pugnandi causâ in arenam, præsertim cum bestiis, descendebant, *L. 1. §. 6. d. Postul. L. 1. §. 1. d. Aedit. Edict. L. 21. §. 2. d. Testibus. L. 38. ff. de Oper. liber. L. 5. ff. ad Scum. Trebell.* Mimi propriè erant gesticulatores, qui dicta factaque & mores hominum deriden-



dendi causâ imitantur, dicebanturque alii Pantomimi, alii Archimimi. *L. 25. §. 1. 27. d. Oper. libert. L. 43. d. Act. emt.* Quia vero nostri propositi non est istiusmodi genus hominum diffuse explicare, remitto B. L. ad eos qui investigandæ huic antiquitati navarunt operam, quorum insignis est copia. Extenditur quoque hæc causâ ad nostros histriones, vulgo *die Gaukler*. Dicunt quidem, quod non amplius videantur infames, sed corruptis id magis ad scribamus moribus.

Neque verò causæ exheredandi semper infamiam supponunt; sed sufficit quod sit vitæ genus iners & vitis oppletum, ac deditum, quod liberi in vitæ patre eligunt, ejusque educationi eo facto se subducunt. Negat id quoque *Herm. de Roxas de Incompatibilitate P. I. C. 12. n. 43. pag. 117.* Hanc causam ad omnes turpes ludos, *Unehrliche Spiele* extendit incomparabilis Hugo Grotius: sed id non convenit ei, quod de causis nominatim expressis supra dictum est. Idem refert quoque huc comædos, quod de iis admitti potest qui ludicra tantum exercent quæstus causâ, & mimorum species videri possunt. Non vero promiscuè: uti comædiarum autores, quibus artificiosè & ingeniosè vitia hominum corruptique mores, ad averfandum; vel virtutes heroumque exempla, ad imitandum, in publicum exhibent, & efficacius ex scena quàm præceptis instruunt. An ad filias illud quoque sit extendendum, admodum D. D. inter se disceptant, quod Imperator filios tantum nominaverit. At quis nescit, intellectu juris sub masculino contineri & foemininum. *l. 1. ff. de verb. sign.* & filiorum significatione generaliori omnes com-



comprehendi liberos. *Conf. omnino L. 84. ff. V. S.* Cessat vero si patre consentiente histrionibus & comœdis ad hæreant: volenti enim non sit injuria. Pertinet huc etiam si pater ipse ejusdem farinae reperiatur: quia mores, quos in se quis probat, in aliis improbare nequit. *L. 47. ff. solut. matrim.* Cessat quoque si in hac professione non permanserit, sed vivo patre destiterit, & ludicram artem deseruerit. *L. 23. C. d. Nupt.* Cessat porro in illis, qui virtutis ostentandæ gratiâ in arenam descendebant, non quæstus causâ. *L. 1. §. 6. ff. d. Postul.* Qui vero nummis aureis, aut Coronis se honorari concedebantur infames erant, & ideo exheredatione digni. *d. l. 1. §. 6.*

Undecima causâ exheredationis est, cum filia matrimonium recusat, & luxuriosam degere vitam mavult. Hic acriter inter D. D. disceptatur, quænam sit meretrix, an quæ quæstus causâ, an & quæ ex singulari amore luxuriat? Nos cum Perillustri Samuele de Cocceji *in jure controu. p. 373.* eam sustinemus sententiam, etiam illam esse meretricem, quæ saltem una vice in corpus suum peccavit. Et illud quidem ex ipsa *Nov. 117. §. 11.* ubi Imperator dicit: *Et forsitan & hoc contigerit in suum corpus eam peccare &c.* Etenim hinc constat, quod & illa meretrix sit, quæ *forsitan* in corpus suum peccaverit: quæ verba ad meretricem quæ publicè quæstus causâ corpus prostituit, vix applicari, nedum restringi possunt. Quod displicet Carpz. Extendunt quoque ad filium indigno nubentem: quod non concedimus. Cessat, si pater in matrimonium consentire nolit: tum enim, licet stuprari se concedat, exheredari non potest. *Conf.*



*Nov. 115. C. 3. §. 11. Zoef. ad ff. de liber. & posthum. n. 16. Carpz. p. 2. Crimin. qu. 69. n. 70.*

Sequitur duodecima causa, quæ illum exheredare jubet, qui furiosum patrem negligit deseritque. Hic maxima controversia est, an furor debeat extendi ad alios morbos. Affirmant Jo. Sichardus *ad Auth. Non. licet C. de liber. praterit n. 4. Harpecht. ad. S. fin. de Exheredat. liber. n. 44. Franzk. ad tit. de Inoff. testam. n. 78.* Non quidem potest negari, ejusmodi filium esse indignum: *L. 3. ff. de his quæ ut indign.* non vero sequitur, quod filius propter eam causam etiam posset exheredari, propter quam indignus habetur. Enim verò exheredatus heres non est, nec capax hereditatis: at indignus est heres, sed ei portionem suam fiscus aufert. Verum ergo est, quod hæc Nov. ad casus similes non possit extendi: frustra enim Imperator solum furorem tam sæpè repetiisset, si voluisset ad alios quoque extendi morbos. Idem juris est in deferente & denegante patri egeno alimenta. Non tamen hic admittitur quævis levior desertio, sed ut perseveret necesse est.

Decima tertia causa est, si filius captivum non redemerit: Hinc perinde est, an in bello, an à latronibus, an à piratis detineatur. *Manz. de testamentor. t. 10. n. 52.* Cessat vero si extraneus heres nesciverit, se esse heredem institutum. Cessat si heres minor 18. annis sit. *d. N. 115. §. 13. vers. Hanc autem.* Unica adhuc restat exheredandi causa, quæ agit de hæretica prole; si nempe filius heterodoxus factus, & pater Catholicus sit. Hic nihil adjimus nisi, quinam hæretici sint? Sunt vero, qui non agnoscunt fidem in quatuor synodis oecumenicis probatam, ut in Nicæna, Constanti-  
nopoli-



nopolitana, Ephesina prima, & Chalcedonensi: *vid. Rittershus. ad Nov. part. 1. C. 2. n. 8.* Ergo si filius protestantis religionis ad pontificiam religionem transgrediatur, non potest exheredari, & vice versa. Tantum.

Hæc veritas luce meridiana licet sit clarior, tamen in praxi admodum disceptatur: Et admittunt in foro omnes causas similes, contra illud proverbium: Omne simile claudicat. Aliud tamen est in Provincia Norica, ubi decem tantum sunt causæ, ob quas parentes Noricæ liberos suos portione legitima privare possunt. Aliud in Saxonia, ubi & similes admittunt, teste Schiltero, Lynkero & aliis.

Hæc sunt B. L. quæ mea tenuitas proferre voluit. Si in quibusdem non satis docte, in aliis non satis perspicue hanc controversiam explicarim veniam a mea ætate & tua B. L. humanitate mihi polliceor.

## COROLLARIA.

- I. **A**bsurdum est non statuere jus Gentium secundarium, separatum à jure naturæ.
- II. Partus duodecimestris legitimus esse non potest.
- III.



\* (40.) \*

- III. Inparentum quoque legitima distinctio  
semisis & trientis locum habere potest.  
*vid. Perillustr. Sam, de Coccej. p. 394.*
- IV. Minor non potest sua sola autoritate sibi  
curatorem eligere, præsertim si habeat tuto-  
rem saltem honorarium.
- V. Imperator hodie LL. solutus est, sed iis,  
quæ per modum pacti conventa sunt,  
tenetur.
- VI. Pupilli, etiam infantiaæ proximi, si Juramento  
delato jurarint, valet, & sibi inde acquirunt;  
sed perjurium non committunt nisi puber-  
tati proximi.





Frankfurt a. d. O., Diss., 1716-18

ULB Halle  
005 350 808


3











H 1385  
1717, 1  
6

Quæ sit genuina resolu-  
tio controversiæ, circa cau-  
sas exheredationis liberorum.

SUMMI NUMINIS AUSPICIO  
INDULTU MAGNIF. JCTORUM ORDINIS  
IN ACADEMIA VIADRINA,  
PRÆSIDE

DN. HENRICO DE COCCEJI,

AUGUST. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ  
CONSILIARIO INTIMO,

FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO  
ET ANTECESSORE PRIMARIO,

DN. PATRONO ÆTATEM SUBMISSA  
DEVOTIONE COLENDO,

Publica hac Dissertatione  
Explicabit

PHILIPPUS CONRADUS HUGO,

Hannoveranus,  
AUTOR & RESPONDENS.

D. Febr. Anno 1717.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Literis JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII.